



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

Svccinctam Doctrinarum Asceticarum Svmmam Comprehendens - Quam  
ad majorem omnium in Ascensi proficere cupientium utilitatem ac  
subsidium

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1685**

§. 6. De Conscientia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48214)



§. VI.

De Conscientia.

I. Est dictamen rationis, quo judicamus hinc & nunc aliquid agendum, vel omittendum esse, vel fuisse; de qua sequentia Ascetæ sunt scienda.

II. Primum est, ut ritè cognoscat indicia Variarum Conscientiarum, maximè verò bonarum & scrupulosarum. Et bonæ quidem conscientia tria præcipua sunt indicia. Agnoscere culpam, ubi non est, uti S. Gregorius dixit. 2. Erubescere ad publicationem sui peccati; nam, ut S. Ambrosius ait, sicut lapis si ad lapidem teratur, ignem excutit, ita etiam bona conscientia pudore succenditur, si renovetur illi suorum recordatio delictorum & in ipsa meditatione exardescit ignis. 3. Non subterfugere lucem; bona enim conscientia, teste Seneca, prodire vult & conspici, turbam advocat. Scrupulosæ verò indicia sunt sequentia, timere in omnibus peccatum; perpetuò hære, quid sit agendum: assiduò & sine justa causa reflectere se super actiones & cogitationes; nolle acquiescere aliorum consilijs: ex levi apparentia mutare consilia.

III. Alterum est, ut sciat utilem praxin seipsum dirigendi juxta ductum suæ conscientia, quam quidem S. Gregorius sequentibus verbis breviter declaravit: In omni, quod dicitur, semper tacitè recurrere debemus ad mentem & interiorem testem ac Judicem requirere; quid enim prodest, si omnes laudent, & conscientia accuset? aut poterit obesse, si omnes derogent, & sola conscientia defendat?

IV.



IV. Tertium est, ut utilem etiam praxin sciat, alienas conscientias dirigendi, ita ut cuique se aptè accommodet, & laxas quidem dextrè cohibeat & restringat; anxias verò & scrupulosas aptis medijs suaviter & prudenter relaxet.

## PARS V.

### DE DOCTRINIS AD IMPEDIMENTA PERFECTIONIS SPECTANTIBUS.

HÆc Impedimenta sunt duplicis generis; nam aliqua directè obstant, quò minus perfectionem quis, prout optat, assequatur, qualia sunt Amor sui, Tristitia, & similia; alia indirectè impediunt, quatenus ad objecta contraria perfectioni impellunt, qualia sunt Tentatio, Mundus, Mulier, Voluptas, Lingua, & similia. De utrisque quid Ascetæ sit sciendum, breviter hac in parte indicabitur.

#### CAPUT I.

### DE IMPEDIMENTIS DIRECTE IMPEDIENTIBUS A PERFECTIONE.

#### §. I.

#### *De Amore sui.*

I. Est inclinatio voluntatis ad proprium bonum appetendum; unde alio nomine *Amor concupiscentiæ* vocatur; de quo tria Ascetæ specialiter sunt scienda.